

De plantis nilotico-aethiopicis Knoblecherianis.

Disseruit Dr. Theodor Kotschy.

(Additae sunt tabulae I., II., III.)

Exiguus numerus plantarum exsiccatarum, quas fatis functus Provicarius Reverendissimus Knoblecher, cum anno 1838 moraretur in Aethiopiae regno Bari, per regiones Gondokoro collegerat, forte fortuna in manus meas devenit. Plantas has quas accuratius determinavi et descripsi, Herbario Palatii Vindobonensis inserui.

Etsi ex his centum quinque speciebus plantarum pleraeque ad eas pertinent, quae in Cordofan et Sennar satis obviae sunt; reperiuntur tamen inter eas triginta species, quae in regione Nili necdum inventae erant. Nonnullae species haecenus prorsus incognitae erant, exempli gratia arbor insignis, foliorum praecipuae magnitudinis, quae novum sistit genus in familia *Sapotacearum*, *Butyrospermum* a me appellatum, ad quod etiam alia species a Mungo Park detecta, nomine arboris butyri insignita et in ejus itinerrario delineata, hucusque non sat nota generi *Bassiae Parkii* attributa, pertinet, quam ob rem haec collectio non modo quod ad geographicam distributionem plantarum attinet, sed etiam systematis causa magni momenti est.

Praeter plantas a Centurione Grant collectas et in descriptione itineris Centurionis Speke enumeratas, tantum hae a Reverendissimo Provicario Knoblecher collectae e regione gradus quarti latitudinis borealis ex Africa nilotica cognitae sunt.

Plures expeditiones nutu Proregis Aegypti in plagas Astapi susceptae, plantas parum curae cordique habuere; tantum in describendis regionibus nonnullarum plantarum insolitae formae mentio facta est. Semina aut siccatae plantae, quod ego sciam, ab iis in Europam non pervenere. Itaque ad praesens tempus tantum illae plantae hujus tractus cognitae erant, quas ego, quum Equitem Russegger anno 1837 ab urbe Chartum ad insulas Mahabali et Nabra Aethioporum Schillukorum comitarer, sicco anni tempore mense

Aprili reperi. Serius anno 1839 auctus est earum numerus, cum in Cordofan viciniis Astapi ad montem Arasch Cool moram agerem. Omnes tamen plantae hae crescunt sub 14^{mo} gradu latitudinis borealis, igitur tantum in ea regione Nili albi, ubi is, non procul septentrionem versus, cum coeruleo flumine Abyssinae miscetur.

Duobus ab hinc lustris nonnullae raras et partim etiam incognitae plantae vivae Horto Caesareo Schochbrunnensi a Reverendo Provicario Knoblechter inde, e regno Bari, missae sunt et hic postea a Botanices peritissimo nestore Doctore Schott descriptae sunt; exempli causa *Piperomia Knoblechteri* Schott (in Hugo Mohl et Schldl. Bot. Zeitung), *Hansalia grata* Schott (in österreichische botanische Wochenschrift) etc.; aliae, *Brunswigia toxicaria* et *B. grandiflora*, *Amaryllis vittata*, *Haemanthus multiflorus*, *Crinum abyssinicum*, *Eratobothrys lilacina*, floribus pulcherrimis excelebant.

Anno demum praeterito quatuor gradus ulterius atque ego pervenit Botanicus Stuedner comes notissimi Heuglin, qui tamen optimae spei juvenis, proh dolor! cum vix in illas paludosas oras pervenisset, typho succubuit, priusquam faciem vegetationis orae illius acuratus cognoscere illi concessum esset. Quantum ex illius descriptione in ephemeridibus geographicis berolinensibus insertae elucet, habet vegetatio illius orae ob sylvas Papyri et Herminierae, plantae, quae lignum laevissimum gignit, typum diversum ab illo inferioris partis fluminis. Ditio tamen interior graminum ferax parum differe videtur ab illa regni Cordofan et Fassoglu. Quocirca potior pars plantarum a Reverendo Provicario Knoblechter in Gondokoro collectarum etiam in Cordofan et Sennar obvia est, licet haec ditio centum quadraginta milliaribus septentrionem versus sita sit. Haec affinitas etiam inde explicari potest, quod altitudo superior Nili admodum lente crescat, atque haec pars Cordofani tropica pluvia adhuc irrigetur.

Si attentionem nostram convertamus in elevatas regiones orientalis Abyssinae, magnum discrimen inter plantas hic atque illas ad Nilum crescentes reperiemus, quod a situ et temperie aëris regionum dependet. Discrimen hoc in his vicinis regionibus est majus quam inter Hispaniam et Turciam etsi hae duplici mari atque Italia divisae sunt.

Omnis itaque symbola ad cognoscendam memorabilem faciem plantarum Nili grata et accepta esse debet, quare in hac a me

suscepta enumeratione plantarum, a Reverendissimo Provicario collectarum, distributio per terras Africanas notatur.

Enumeratio plantarum a Reverendissimo Provicario Knoblechter ad littora Nili albi (Astapi) in regionibus regni Bari prope Gondokoro 1858 lectarum.

Nro. Herb.
Palat.
Vindob.

Gramineae.

- * 1. *Panicum Schimperianum Hochst.* (Abyssinia, Tigré.)
- * 2. *Pennisetum elegans Nees.* (Sierra Leone.) Planta rarissima.
- * 3. „ *Myuro Parl.* affine?
- * 4. „ *mollissimum Hochst.* proximum.
- 5. *Digitaria Pauli Ducis Hochst.* (Sennar.)
- * 6. *Eleusine Tocusso Fresen.* (Abyssinia culta, India.)
- 7. *Eragrostis tenuiflora Ruprecht.* (Sennar.)
- * 7^a. *Andropogon finitimus Hochst.* (Abyssinia.)
- * 7^b. *Panicum (Virgaria) sp.?*

Cyperaceae.

- 8. *Cyperus retusus Nees.* (Cordofan, Abyssinia.)
- 9. *Flmbristylis dichotoma Vahl.* (Aegypt., Nubia, Sennar.)

Dioscoreae.

- * 10. *Dioscorea Schimperiana Hochst.* (Abyssinia, Tigré.)

Commelinaceae.

- 11. *Commelina Forskallii Vahl.* (Cordofan, Arasch Cool, Abyssinia.)
- 12. „ *latifolia Hochst.* (Abyssinia.)
- 13. *Ceanotis abyssinica Hochst.* (Abyssinia, Fassoglu.)
- * 14. *Commelinacea sine flore.*
- * 15. *Perisanthera Boriani Fzl. ms.* (Fassoglu.)

Liliaceae.

- 16. *Gloriosa (Methonica) abyssinica A. Rich.* (Cordofan, Obeid, Fassoglu, Abyssinia, Madagascar, Niger.)

*) Plantae quae in plagis Nili hucusque non sunt inventae.

Irideae.

17. *Gladiolus Quartinianus Hochst.* (Cordofan, Arasch Cool., Abyssinia.)

Amaryllideae.

- *18. *Haemanthus multiflorus Willd.* (Abyssinia, Prom. bonae spei.)

Pistiaceae.

19. *Pistia aethiopica Fenzl* in Klotzsch Monogr. (Sennar.)

Ceratophylleae.

20. *Ceratophyllum demersum L.* var. *niloticum*; foliis latioribus, dentibus aculeiformibus obversis majoribus. (In Nilo albo ad Eleis. Sennar.)

Podostemmeae ¹⁾.

- *21. *Hydrostachydi* affine genus, Rami steriles indeterminabiles.

Moreae.

- *22. *Ficus Dekdekena A. Richard.* (Abyssinia.)

Amaranthaceae.

23. *Bigera arvensis Forsk.* (Ad Chartum, Sennar, Cordofan, Nubia, Aegypt., Abyssinia.)
 *24. *Celosia populifolia Moq. Tand.* (Abyssinia, Schoa prov. Meda.)
 25. „ *argentea L.* (Sennar, Cordofan, Nubia, Aegypt., Abyssinia, Niger.)

Polygoneae.

- *26. *Polygonum.* Caule atrorubente, ochreis fusco-pilosis pollicaribus, setis 5—7 linearibus praeditis, petiolo canaliculato, lamina a basis sensium dilatata ex ovato-lanceolate-producta

1) Cum in hac opella errores typhothetarum corrigerem, perecepi Cihino plantas a mercatore Binder sub gradu sexto lat. borealis ad Nilum collectas. Inter has reperitur etiam planta hic sub Nro. 21 memorata et quidem exemplar cum fructibus, quod non ad Podostemmeas, ut putabatur, sed ad Rhizocarpeas et quidem ad genus „Azolla“ pertinet.

acuta utrinque sparse pilosa infra mollis; 6 poll. long. 2 poll. lat. sub evolutione sericea. Caetera desunt.

Nyctagineae.

27. *Boerhavia adscendens* Willd. (Cordofan, Abyssinia, Niger, St. Thomas.)

Aristolochieae.

28. *Aristolochia* } *bracteata* Retz { (Cordofan, Sennar, Abyssinia,
29. „ } in *D. C. Prod.* { Mozambique.)

Compositae.

- * 30. *Vernonia* sp. indeterminabilis.
31. *Ethulia gracilis* D. C. (Cordofan, Sennar, Abyssinia, Mozambique.)
* 32. *Cotula cryptocephala* Schultz. Bip. (Abyssinia.)
33. *Wirtgenia Kotschyi* C. H. Schultz, Bip. (Cordofan, Arasch Cool., Abyssinia, Mozambique.)

Rubiaceae.

34. *Mitrocarpus senegalensis* D. C. (Cordofan, Sennar, Senegambia, Niger, Sierra Leone.)

Asclepiadeae.

- * 35. *Ceropegia ringens* Rich.? (Abyssinia.) exemplar mancum.
36. *Leptadaenia abyssinica* Decaisne. (Abyssinia.)
37. *Leptadaenia Delilei* Decaisne. (Cordofan, Sennar, Abyssinia.)
38. *Oxystelma Senegalense* Decaisne. (Senegambia, Sennar.)
39. „ *Alpini* Decaisne. (Aegypt., Nubia, Sennar, Abyssinia.)
40. *Doemia aethiopica* Decaisne. (Sennar, Abyssinia.)

Labiatae.

- * 41. *Cicium filamentosum* Forsk. (Arabia, Abyssinia.)

Verbenaceae.

- *42. *Vitex cuneata Schum et Thonn.* var. *nilotica*. Ramis griseis, foliis acuminatis, petiolo communi foliolo intermedio multo brevior. Rachi costisque atris, cyma axillari simplici, drupa ovali. Unico ex specimine tantum fructifero nil nisi varietatem eruere licebat. (Guinea).
43. *Volkameria Acerbiana Vis.* (Aegyptus, Nubia, Fassoglu, Benischangul.)
44. *Cyclonema myricoides Hochst.* (Fassoglu, Abyssinia, Schoata, Port Natal.)

Cordiaceae.

45. *Cordia subopposita D. C.* (Fassoglu, Abyssinia, Senegambia.)

Convolvulaceae.

46. *Ipomoea sessiliflora Roth.* (Cordofan, Sennar, Nubia, Aegypt.)
47. „ *reniformis Choisy.* (Cordofan, Sennar, Nubia.)
48. „ *palmata Forsk.* (Nubia, Sennar, Cordofan, Aegyptus, Abyssinia.)
49. *Ipomoea repens Roth.* (Cordofan, Arasch Cool, Sennar.)
50. „ *dichroa Choisy.* (Sennar, Cordofan, Abyssinia.)
- *51. „ *chryseides Lindl.* (India, China.)
- 51^a. „ *coptica Roth.* (Sennar, Cordofan.)
- 51^b. „ *hispida Choisy.* (Cordofan Fassoglu.)

Scrophularineae.

52. *Striga hermontica Benth.* (Aegyptus superior, per internum Africae divulgata.)
53. *Striga hirta Benth.* (Sennar, Abyssinia, Mozambique.)
54. „ *senegalensis Benth.* (Sennar, Senegambia, Niger.)

Solanaceae.

55. *Datura Metel L.* (Sennar.)
56. *Nicotiana Tabacum L.* var. *macrophylla Dunal.* (In Sennar et per internum Africae colitur.)

Acanthaceae.

57. *Asystasia chelonoides* Nees. (Fassoglu, Abyssinia.)
 58. *Adhatoda Kotschyi* Nees. (Cordofan, Senuar.)
 59. *Barleria Hochstetteri* Nees. (Cordofan.)
 60. *Menechma bracteosum* Hochst. (Obeid, Cordofan, Abyssinia.)

Sapotaceae.

Butyrospermum nov. genus. Calyx octopartitus, biserialis, lobis exterioribus patulis interioribus subimbricatis. Corolla tubuloso-campanulata apice octoloba. Appendices tot quot lobi corollae, iis alternantes apici tubi insertae. Stamina fertilia lobis corollae pari numero opposita, antheris lanceolatis apice acutis basi sagittatis extrorsis rimis lateralibus longitudinaliter dehiscentibus. Filamenta antheris longiora gracilia. Pollen ellipsoideum. Ovarium liberum hirsutum minimum octoloculare angulosum, loculis lobis calycinis oppositis. Stylus vix exsertus teres. Stigma obtusum. Ovula in loculis solitaria funiculo a dimidio anguli interni basin versus affixa pendula hemi-anatropa. Bacca ellipsoidea. (Fructus in Mungo Park Voy. p. 26. t. 202. 203. Vide Tab. nostra II. A').

Arbores Africae tropicalis, foliis alternis longepetiolatis integris, in apice ramorum approximatis, pedicellis axillaribus fasciculatis, in apice ramulorum subumbellatis, seminibus butyraceis vel oleosis apud Aethiopes adhibit.

Celeberrimus De Candolle in Prodrómo de *Sapotaceis* affirmat: genera ex evolutione et situ ovulorum ordinanda et secundum complicationem floris distribuenda esse. — In *Butyrospermo* nilotico, ovula pendula hemi-anatropa perspicue observata sunt. Duo tantum genera *Sapotacearum* hac structura gaudent, *Bassia*, asiaticum et *Lucuma*, americanum genus. Floris complicatio nec cum *Bassia* nec cum *Lucuma* convenit, calyx nempe in *Lucuma* 4—12? partitus, lobis imbricatis (nec biserialis), corolla 4—6 fida vel 4—6 loba; in *Bassia* appendices nullae, stamina omnia fertilia lorum numero circiter dupla etc. etc. filamenta saepius brevissima. *Imbricaria*, ovulis ex angulo centrali adscendentibus, natura corollae, longius distat, sed calycis structura, insertionem staminum.

unacum generis *Mimusopis* sectione prima, *Butyrospermo* propinqua haberi posset.

Quum genera reliqua *Sapotacearum* pluribus adhuc notis longnis distent, adque ego casu inopinato in planta *Mungo Parkii*, sub nomine *arboris butyri* nota, identificam ovulorum et corollae structuram invenerim, genus novum sub nomine *Butyrospermum* proponendum esse putavi.

61. *Butyrospermum niloticum* nov. sp. Tab. I. Foliis amplis sesquipedalibus oblongo-lanceolatis utrinque attenuatis, coriaceis supra glabris nitidis infra secus costam pilosulis, venis utrinque ad triginta prominentibus in marginem excurrentibus, corolla calycem lobis vix excedente, lobis ovato lanceolatis basi abrupte attenuatis intus pilosis, appendicibus alternantibus concavis basi subcordatis lanceolatis apice subulato-productis reclinatis margine ciliolatis extus longe pilosis, filamentis petalis aequilongis parte superiore arcuatim inflexis cum antheris basi affixis atrorubentibus.

In Aethiopia ad ripas Nili albi (Astapi) prope Gondokoro sub-4^{to} gr. boreali latitud. detexit Reverendissimus Provicarius Knoblechter. In Herb. Palat. Vindob. Nro. 61.

Rami terminales digiti crassitie cicatricibus magnis articulo-nodosi confragosi glabrati, apice denso tomento fusco induti, laterales glabri grisei corrugati; folia 8—10 approximativ inserta, ramenta ex lanceolato subulata argenteo-velutino-pilosa intus glaberrima plana 4 lineas longa. Folia juvenilia cum petiolis utrinque tomento denso fusco induta, adulta glabra ampla, sesquipedalia, oblongo-lanceolata apice et basi attenuata. Petiolus canaliculatus sub tomento fusco striolatus ac lenticulis albis obsitus. Lamina pedem longa 3½ poll. lata, coriacea basi inaequalis apice subacuta, margine integerrima undulato crispula, supra glabra nitida, infra pallidior, secus costam valde prominentem et venas primarias utrinque ad triginta crispo-pilosula, venae versus exitum divisae in marginem cartilagineum dissolutae. Pedunculi semipollicares. Calycis lobi primarii quinquelineares lanceolati acuti apice incurvi, tomento fusco induti, intus cum lobis secundariis velutino flavicantes, omnes apice fusciscentes. Corolla tubuloso campanulata ultra medium in octo lobos sub-

imbricatos ovato-lanceolatos basi abrupte attenuatos et hic intus pilosulos dissoluta. Apendices lobis minores iis alternantes lineari-lanceolatae subulato productae intus concavae basi extus dense pilosae subcordato attenuatae margine ciliolatae. Filamenta glabra, antheris apices loborum calycis fere excedentibus.

Butyrospermum Parkii. Tab. II. Foliis semipedalibus obovato-oblongis utrinque rotundatis pergamenis supra nitidis infra pilosis, venis utrinque ad viginti gracilibus in marginem callosam transeuntibus, corollae lobis calyce excedentibus ovato-lanceolatis ciliolatis glaberrimis, appendicibus ovato-rotundatis profunde ciliatis trifidis, apice elongato-subulato, imbricatim dispositis vix concavis basi glaberrimis, staminibus basi affixis fuscis.

Bassia Parkii G. Don gard. diet. IV. p. 36. — De Candolle Prodrômus VIII. p. 199. nor. 13. — Baikie's Niger-Expedition 1857—1859. Nro. 1178 coll. C. Barter. In Herb. Palat. Vindob.

In Africa centrali occidentali per regnum Bamba ubi arbor *butyri* appellatur. (Mungo Park).

Rami terminales ut in praecedente, ramenta verticalia ex lanceolato-subulata intus canaliculata glabra quinque lineas longa fusco-velutina. Folia adulta semipedalia, petioli graciles basi incrassati sesquipollicem longi sub tomento fusco tenuissime canaliculati, caeterum teretes. Lamina pergamena obovato-oblonga utrinque rotundata vel basi abrupte attenuata, plerumque inaequilatera, apice nonnunquam emarginata caeterum integerrima crispule undulata, 4 poll. longa $1\frac{1}{2}$ —2 poll. lata, supra nitida infra pubescens, costa prominens, venae primariae gracillimae fere parallelae in marginem callosam excurrentes. Calyx ut in praecedente specie. Corolla, calycem excedens, ultra medium in lobos octo subimbricatos ovato-lanceolatos basi attenuatos utrinque glabros margine ciliolatos dissoluta. Apendices ovato-rotundatae profunde ciliatae trifidae, apice elongato-subulato-cuspidatae, parum concavae, imbricatim dispositae, breviter stipitatae, basi glaberrimae. Filamenta, in floribus nondum sat evolutis, petalis tertia parte breviora, in evolutis aequilonga basi parae pilosula, caeterum glabra fusca.

Sesameae.

62. *Rogeria adenophylla* Gay. (Cordofan, Sennar.)
 63. *Sesamopteris alata* D. C. (Cordofan, Mozambique.)
 64. *Loranthus (Symphyanthus) Knoblechteri* nov. spec. Caule ramoso, ramis fulvo pulverulentis, foliis breviter petiolatis, figura variis, ellipticis lanceolatis vel lineari-lanceolato productis integris vel subintegris apice acutis vel rotundatis inaequilateris rugulosis coriaceis glaucis, floribus 4—5 glomeratis cauli lateraliter insidentibus glaberrimis, calyce subturbinato, corolla tubulosa glabra basi concreta, medio fissa, apice in quinque lacinias semipollicares dissoluta, laciniis lanceolatis subacutis approximatis, fructibus rubris, ovatis, magnis.

In arboribus vetustis ad Gondokoro legit Reverendissimus Provicarius in ejus egregiam memoriam species dedicata.

Folia $5\frac{1}{2}$ poll. usque long. $\frac{3}{4}$ poll. lat., marginibus arcuatim curvata et interdum recurvata, Bractea semiovata parvula. Calyx in gemmis cylindraceus tum paululum turbinnatus sub lente inaequaliter denticulatus. Corolla intense rubra basi constricta ferruginea, tertia parte concreta, tertia fissa et tertia dissoluta in lacinias quinque lanceolatas subacutas basin versus angustatas inter se approximatas. Filamenta atra in sicco ad basim laciniarum involuta. Antherae basi affixae minores flavae, stigma apices laciniarum fere attingens ovatum tuberculatum. Fructus ovati rubri Craetegi magnitudine.

Prope *L. macrosolen* Steudel collocanda, quae differt: calyce pubente, corolla longiore ad medium usque fissa, laciniis spathulatis.

65. *Loranthus globiferus* A. Rich. (Chartum, Abyssinia, Sennar, Bornu.)

Ampelideae.

66. *Cissus quadrangularis* Lam. (Cordofan, Sennar, Fassoglu, Abyssinia, Nubia.)

Capparideae.

67. *Capparis tomentosa* Lam. (Sennar, Abyssinia, Senegambia.)
 68. *Crataeva Adansonii* D. C. (Cordofan, Sennar, Fassoglu, Senegambia.)

69. *Cadaba farinosa* Forsk. (Cordofan, Sennar, Abyssinia.)
 70. „ *rotundifolia* Forsk. (Abyssinia, Fassoglu.)

Nymphaeaceae.

- * 71. *Nymphaea capensis* Thunberg. (Prom. bonae spei.)

Cucurbitaceae.

- * 72. *Bryonia micrantha* Hochst. (Abyssinia.)
 73. „ *fimbristipula* Fenzl msc. (Cordofan.)
 74. *Cyrtanema elegans* Fzl. msc. (Cordofan.)
 * 75. *Coniandra pinnatisecta* Schrad? (Prom. bonae spei.)

Malvaceae.

76. *Dumreichera arabica* Hochst. (Cordofan, Sennar.)
 77. *Hibiscus Cannabinus* L. (Nuba, Cordofan, Fassoglu, Abyssinia, Tacazze, Senegambia.)
 * 78. *Hibiscus verrucosus* Guill et Perrott. (Senegambia.)
 79. *Gossypium nigrum* Hamil. var. (Cordofan, Promonb. Viride.)
 * 80. *Sida abyssinica* Hochst. (Abyssinia.)
 81. „ *aluifolia* L. (Cordofan, Sennar, Fassoglu.)

Büttneriaceae.

82. *Walteria indica* L. (Cordofan, Sennar, Fassoglu, Abyssinia, Mozambique, Senegambia, Prom Viride.)

Sterculiaceae.

83. *Sterculia tomentosa* Guill et Perrot. (Senegambia, Cordofan, Sennar, Abyssinia.)

Meliaceae.

- ° 84. *Turraea Vogelii* Hook fil. (Niger ad littora, Fernando Po.)

Sapindaceae.

85. *Cardiospermum Haliocacabum* L. (Nubia, Sennar, Cordofan, Abyssinia, Mozambique, Niger.)

Combretaceae.

86. *Poivrea Hartmanniana* Schweinf.: Plant. quaedam nilot. (Sennar.)

Lythrarieae.

- * 87. *Jussiaea fluitans* Hochst. var. *nilotica* Ky. Luxurians, foliis latioribus, fructibus brevioribus pilosis. (Prom. bonae spei.)

Papilionaceae.

90. *Crotalaria (Macrostachya) intermedia* nov. spec. Tab. III. Herbacea, elata, foliis ternis producto lineari-lanceolatis acutis, racemis terminalibus longis multifloris, floribus majoribus dissitis, calycibus quinquefidis laciniis subulatis tubo triplo longioribus, petalis flavidis atropurpureo lineolatis, vexillo patente acuminato, alis quinta parte brevioribus, carina geniflexa lata apice recta atropurpurea, antheris quinque polleniferis carinam apice attingentibus caeteris brevioribus, germine glabro dorso patule piloso, stylo geniculatim adscendente puberulo.

Legit ad littora Nihabi (Astapi) prope Gondokoro Reverendissimus Provicarius J. Knobler 1838 sub Nro. 90.

Herba elata caulibus elongatis erectis gracilibus parce sulcatis oligophyllis pilis adpressis sparse obsitis. Stipulae nullae. Folia recta dispersa terna ad internodia pilosa, petioli subtiles elongati, lamina lineari-lanceolato-producta acuta $3\frac{1}{2}$ poll. long. 4 lin. lat. supra glabra, sub lente pulverulenta, infra pilis brevibus adpressis parce obsita petiolo aequilonga. Racemi terminales erecti longissimi, pedales et ultra, scabridi multiflori, flores majorum ampli dissiti, gemmae floriferae approximatae primum patentem tum pendulae, breviter pedicellatae, bractea brevi subulata sustentae. Calyces adpresse-pilosi quinquefidi, lacinae lanceolato-subulatae tubo brevi triplo longiores. Petala flavida eleganter atropurpureo-lineolata, vexillum patens acuminatum 9 lin. long. 4 lin. lat., alae tertia parte breviores, carina minus perspicue lineolata geniflexa 3 lin. lata 8 lin. longa apice recta ac atropurpurea sub lente ad marginem pube tenuissima ornata. Staminibus quinque longioribus debilioribus reliquis brevioribus ac fortioribus. Germine cylindraceo, dorso crista dense pilosa instructo caeterum glabro, stylus arcuatim adscendens puberulus.

Toto habitu caulibus et foliis *Crotalariae mosambicensi* Klotzsch proxima, quae differt floribus multoties minoribus,

galea uncinato incurva, germine toto pubescente; *Crot. brevidenti* Benth. floribus affinis quae diversa foliis latioribus petiolo fere brevioribus, calycis dentibus brevissimis, alis carina fere aequilongis caeterisque notis.

91. *Indigofera paucifolia* Del. var. (Aegypt. super; Syene; in Cordofan divulgata.)
88. *Indigofera (Simplicifoliae) Knoblecheri* nov. sp. Suffruticulosa, tota pilis adpressis munita, caulibus obscure-fuscis, stipulis lanceolato-subulatis, foliis approximatis brevissime petiolatis simplicibus oblongis basi attenuatis exitu apiculatis pergamenis utrinque scabriusculis, racemis multifloris, floribus rubris vexillo extus puberulo, racemis fructiferis erectis folio duplo longioribus pilosis, leguminibus deflexis teretibus rectis 8—10 spermis pilosis.

In Aethiopiae regno Bari ad littora Nili albi prope Gondokoro detexit Reverendissimus Provicarius J. Knoblecher 1858, Nor. 88 in Herb. Palat. Vindob.

Ramis junioribus scabriusculis, stipulis 3 lin. longis, gemmis floriferis numerosis sericeis calycis dentibus aequilongis vel paulo brevioribus. Vexillum apiculatum, galea rotundonaviculari reclinata. Legumen 11 lin. long. rostro declinato terminantum.

Species ad *Tephrosiam* inclinans proxima *Indigoferae paniculatae* Pers. quae differt pedunculis brevioribus, leguminibus tetraspermis glabris.

89. *Lotus arabicus* L. (Ab Aegypt. sup. in Nili littoribus divulgata, Abyssinia.)
- * 92. *Dolichos stenocarpus* Hochst. (Abyssinia.)
93. *Cajanus flavus* D. C. (Colitur in Nubia et caeteris regionibus niloticis australioribus.)
94. *Sesbania punctata* Guill et Perrot. (Cordofan, Sennar.)
- * 95. *Desmodium lasiocarpum* D. C. (Coll. J. Mann N. 1017 West trop. Africa, Guinea.)
96. *Herminiera lachnoxylon* Guill et Perr. Haec memorabilis planta, secundum exempla imperfecta a me pro *Aedemone* mirabili habita est. Verum Doctore *Schweinfurth*, per Viennam in Africam interiorem proficiscenti, ea *Herminiera* visa est, quod ego quoque accuratiori indagatione comperi.

- ° 97. *Erythrina abyssinica* A. Rich. Flores hucusque non descripti.
 ° 98. *Rhynchosia Sennariensis* Schweinf. msc. (Sennar.)
 99. *Rhynchosia confertiflora* A. Rich. (Abyssinia, Takazze.)

Caesalpieneae.

100. *Cassia mimosoides* L. (Cordofan, Sennar, Abyssinia, Mozambique, Niger, Bornu.)
 101. *Cassia Tora* L. (Abyssinia, Sennar, Cordofan.)
 102. *Cassia nigricans* Vahl. (Abyssinia, Sennar, Cordofan, Senegambia.)
 103. *Tamarindus indica* L. (Chartum, Nuba, Fassoglu, Abyssinia, Mozambique, Niger.)
 * 104 *Caesalpinia* species nova! foliis bipinnatis pedem longis 6 poll. latis septenjugis, pinnis fere oppositis basi incrassatis. 5—6 poll. longis, 14—18 jugis, foliolis alternantibus sessilibus contiguis lanceolato oblongis basi obliquis 9 lineas longis 3 lineas latis apiculatis pilosis trinerviis supra nitidis, sub lente pulverulentis, infra pallidioribus, Cicatricibus pinnarum rotundis, foliolorum ovalibus. Caeterum ignota.

Ad Gondokoro Reverendissimus Provicarius Knoblecher in littoribus Nili albi hujus arboris ignoti et elegantissimi folia tantum legit.

Mimoseae.

105. *Mimosa asperata* Willd. (Aegypt. superior ad Silsilim, per Nubiam et Sennar ad ripas Nili, Mozambique, Niger, Senegambia etc.

Explicatio.

Tab. I. *a)* Ramus juvenilis, *b)* folium adultum, *c)* flores nondum evoluti, *d)* flos infra apice transverse decissus, Diagramma quater tantum, *e)* calyx, *f)* fissus dupplo major, *g)* corolla evoluta pagina anteriori quater tanta, *h)* idem pagina posteriori, *i)* segmentum a latere visum sextuplex, *k)* ovarium sexies majus, *l)* idem dissectum, *m)* idem decissum, *n)* ovulum auctum, *n')* dissectum.



Entosperma ulotum Kutschy



Polyospermum Parkii Kotschy

Sitzungsb. der k. Akad. d. W. math. naturw. Cl. L. Bd. 1. Abth. 1864



Crotalaria intermedia Kutschy.

Tab. II. *A)* Planta ex Mungo Park delineata, *A')* ejus fructus, *B)* Ramus cum foliis adultis a *C. Barter* collectus, *B')* ejus inflorescentia deflorata. *a)* flos calyce excedens duplo major, *b)* corolla evoluta pagina anteriori quater tanta, *c)* germen dissectum duplo majus, *d)* idem sextuplum, *f)* decissum sexies tantum, *g)* ovulum auctum.

Tab. III. *a)* Flos duplo auctus. *b)* corolla triplex aucta, *c)* stamina, *d)* stamina cum germine quadrupla, *e)* germen dissectum. *f)* transverse sectum *g)* anthera transverse secta.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften
mathematisch-naturwissenschaftliche Klasse](#)

Jahr/Year: 1865

Band/Volume: [50](#)

Autor(en)/Author(s): Kotschy Theodor

Artikel/Article: [De plantis nilotico-aethiopicis Knoblechterianis. 351-365](#)